

Plutarchus

Plutarchi de Flu-
uiorum mōtiumq̄ nominibus,
& de ijs, quæ admirabilia
in illis inueni-
untur.


NATALE DE COMITIBVS
VENETO, INTER-
PRETE.

BASILEAE, AN.
NO M, D. LX.

PA 4373
M8 D35
1560
Office

34 D807
25
H

982122436
OPTIMO AC SPE
CTATISSIMO CIVI VE
NETO ANDREÆ FRIGERIO,
A SECRETIS ILLVSTRISSI
mi Senatus Veneti, Nata
lis de Comiti
bus S.



Vm singularis ingenij tui præ
stantiam considero, Andreas sa
piētissime: & præclarum quod
dam scribendi argumentum il
lud esse oportere iudico, quod
ad te mitti cōueniat: & vires meas non posse
tanto operi satisfacere, planè intelligo. Cùm ue
rò eximie & probitatis & humanitatis tuæ mi
hi in mentem uenit, qui non pro magnitudine uel
precio, sed pro mittentium animo, munera pondè
rare soles: recreor aliquantulum, atque ita ut à
scribēdi ad te cogitatione non prorsus deterrear.
At cùm tuorū in me beneficiorū amplitudinem,
& quanta cum beneuolentia me semper comple
xus fueris, animo complector: non tam expectan
dam animi magnitudinem, quàm arripiendam
quamlibet uel mediocrem animi mei tibi signifi
candi occasionem censeo. Quod enim beneficio
rum genus non prius in me reapse cōtulisti, quàm

significasti uerbis? Nam si meritorum magnitudo
 atque numerus spectandus est, me tantum tibi de-
 bere sentio, quātum persoluere nunquam possim:
 sin beneuolentia sit cunctis anteponenda, quanti
 optimam istam tuam in me uoluntatem, quā plu-
 ribus in rebus expertus sum, facere debeo? His
 ego rationibus cōpulsus sum, ut apud te primum,
 deinde apud ceteros homines, me tibi plurimum
 debere, testatum relinquerem: atque ut, quæ pri-
 ma mihi sese obtulisset occasio, tibi significandi
 animi mei, auidē arriperem. Occurrebat igitur
 iucundissimum Plutarchi cuiusdam opusculum, in
 quo de rationibus nominum, fluuiorum ac mon-
 tium scriptum erat, ad hæc usque tempora penē
 incognitum. Hanc ego satis idoneam ad te scri-
 bendi occasionem ratus illud opus Latinum faci-
 endum suscepi, tibiq; dicaui, quasi summæ meæ
 in te obseruantie signum & iudicium. Maximam
 percipies eo autore legendo uoluptatē, quoniam
 admirabilia prorsus sunt, quæ in his commenta-
 rijs traduntur, herbarum lapillorumq; genera.
 Sed quia in librum Aristotelis de rebus auditu ad-
 mirabilibus, quem etiam Latinum fecimus, satis
 multa de natura admirabilium differuimus, quòd
 quasi ludus quidā sunt naturæ: quod quæ uidetur
 nobis incredibilia, ex occultis naturæ uiribus fie-
 ri possunt: quòd ad obtundendam nonnullorū in-
 geniorum

DEDICATORIA. 5

geniorum temeritatem: quòd ad recreandos & resuscitandos sapientum animos: quòd ad declarandam summam opificis omnium Dei potentiam, gignuntur: uniuersam hanc considerationem in presenti prætermitemus. Illud tantum dicam, summam esse, quæ ex hoc libello percipitur, uoluptatem: atque me hanc lectionem, pro admirabilis ingenij tui facultate, tibi maxime conuenire, esse arbitratum. Quòd si qua aptior mihi acciderit recensendarum laudum tuarum opportunitas, efficiam profectò ut omnes intelligant perpetuum meum de tuis uirtutibus iudicium, & te ingenij tui magis quam me admiratorem habere neminem. Tuæ erit humanitatis interim, ut quæ pignora summæ meæ in te obseruantia prima mitto, hilari uultu complectare.

Vndecimo Kal. Ianuarij,
Venetijs.

CAPITA NOMI-
 NVM FLVVIORVM, QVI
 IN HOC LIBELLO DE-
 SCRIBVN-
 TVR.

D E Hydaspē.	De Scamädro. Cap. 13
Caput 1	De Tanai. Cap. 14
De Ismeno. 2	De Thermodonte. 15
De Ebro. Cap. 3	De Nilo. Cap. 16
De Gange. Cap. 4	De Eurota Cap. 17
De Phasido. Cap. 5	De Inacho. Cap. 18
De Arari. Cap. 6	De Alpheo. Cap. 19
De Pästolo. Cap. 7	De Euphrate. Cap. 20
De Lycorma. Cap. 8	De Caico. Cap. 21
De Meädro. Cap. 9	De Acheloo. Cap. 22
De Marsya. Cap. 10	De Araxe. Cap. 23
De Strymone. Cap. 11	De Tigri. Cap. 24
De Sagari. Cap. 12	De Indo. Cap. 25

FINIS.

PLVTARCHI DE
FLVVIORVM MONTI/
VM'QVE NOMINIBVS, ET
DE IIS QVAE ADMIRABILIA
IN ILLIS INVENIVN,
TVR, LIBER,

NATALE DE COMITIBVS
VENETO, INTER-
PRETE.

De Hydaspē. Cap. I.



BI Chryssipe in patris
Hydaspi desideriu, ob
Veneris indignationē
incidisset, neque præter
naturam coortos amo-
res occultare posset: per
obscuram noctem cum
eo, nutrice adiuuante,
congressa est. Cum rem illam grauiter ferret
Rex, postea deprehensam anum, quæ sibi in-
sidias tetenderat, uiuam infodiendam cura-
uit: filiam crucis supplicio affecit. Verū cum
dolorē postea ex ea re minimè perferre pos-
set, seipsum in Indum fluuium præcipitauit,
qui mox ab eo Hydaspes fuit appellatus. Est

autem Indiæ fluuius rapidissimus, qui in Sa-
 roniticâ Syrtem defertur: in quo lapis lychnis
 nomine nascitur, olei habens colorem,
 ualdeq; feruidus, qui luna crescente ad tibi-
 arum sonum reperitur: quo utuntur ij qui
 sunt insigniores. Inuenitur ibidem apud uo-
 catas Portas herba heliotropio simillima,
 huius contusæ succo se per calores ungen-
 tes nihil patiutur omnino, feruntq; illas
 uel cuiusuis ingentis caloris uapores. Indi-
 genæ uerò uirgines impiè agentes ubi cru-
 ci affixerunt, in illum deiiciūt Veneris hym-
 num suo ipsorum idiomate canentes. Ve-
 tulam singulis annis, quæ condemnata fue-
 rit, apud collem Therogonum nūcupatum
 infodere consueuerunt: nam eò continuo
 ingens serpentum numerus ad anū confluit
 ex montis uertice, illamq; circumuoluti co-
 medunt, sicuti memoriæ prodidit Chryser-
 mus libro rerum Indicarum octogesimo.
 Sed de his diligentius scriptum est ab Arche-
 lao libro tertiodecimo de Fluminibus. Sub
 eo colle mons est Elephas nominatus, ob
 huiusmodi causam: cū Alexander rex Ma-
 cedonum cum exercitu in Indiam penetras-
 set, statuerentq; indigenæ contra illum bel-
 lum esse sumēdum, elephas Pori illorum lo-
 corum regis, furijs repentē correptus, in So-
 lis collem ascēdit, humanamq; uocem emit-
 tens, inquit: Rex here, qui genus ducis à Ge-
 rosis.

Lychnis

Elephas
mons

ratio, nihil contra Alexandrum efficies: est enim Gerasius Iouis. Vbi sermonem absol- uisset, continuo interiit. Ea cum Porus au- diuisset, tremebundus ad genua Alexandri procidit, pacemque expetiuit: cum uero obti- nuisset quidquid poposcerat, montem Ele- phantem nominauit, sicuti Dercylus tradi- dit libro tertio de Montibus.

De Ismeno. Cap. II.

Ismenus fluuius est Bœotie iuxta Thebas urbem, qui prius Cadmi pes ob hanc cau- sam dicebatur. Vbi Cadmus serpentem fontis custodem iaculis confodisset, inuenis- setque aquam quasi ob timorem ueneno infe- ctam, regionem lustrauit fontem inquirens. Verum ubi ad antrum Corycæum peruenis- set, Palladis beneficio effectum est, ut dexte- rum pedem altius in limum impresserit: at- que cum fluuius inde ex loco emerisset, he- ros bouem immolauit, fluuiumque nomina- uit Pedem Cadmi. Postea quodam tempo- re Ismenus Niobes & Amphionis filius ab Apolline percussus, grauiterque dolens sese in ipsum fluuium coniecit, qui ab eo Ismenus fuit appellatus: uti testatur Sostratus libro secundo de Fluminibus: cum prius Asterius ob hanc causam diceretur: Cum uellet Bœ- otus Neptunus ex duabus illustribus mulie- ribus utiliorem ducere in matrimoniū, atque expectaret utranque in uertice collis cuius-

cadmi pes

Asterius

dam, stella repente de cælo decidens in hu-
 merum cecidit Eurythemistæ, statimq; eua-
 nuit. Huiusce rei significationem intelligēs
 Bœotus puellam uxorem duxit, montemq;
 ab eo casu Asterium nominauit: sed postea
 ob huiuscemodi causam dictus est Cithæ-
 ron. Cùm Tisiphone unâ ex Erinnybus in
 Cithæronis pueri cuiusdam formosi deside-
 rium concidisset, neq; amoris uim posset oc-
 cultare, uerba ad illum de congressu perfe-
 renda curauit: ille uerò formidandum eius
 aspectum ueritus, neque responso quidem
 dignam fecit. Illa cùm neq; responsum re-
 tulisset, unum ex suis draconibus è capillis
 cõuulsam, in illum superbū coniecit: quem
 serpens intra suos nodos constringens in-
 teremit: ubi Asterius in editioribus mon-
 tis partibus gregem pasceret. Deorū autem
 commiseratione postea mōs ab illo cogno-
 men accepit, sicuti Leo inquit Byzantius in
 rebus Bœoticis. Hermesianax uerò Cy-
 prius historiam refert huiusmodi: fratres fu-
 erunt Helicon & Cithæron, qui morum ta-
 men similitudine minimè conueniebant:
 nam Helicon magis erat facilis & per huma-
 nus, paternaq; pietate adductus seniores pa-
 rentes alebat. Cythæron cùm mirum in mo-
 dum esset auarus, uniuersumq; patrimoniū
 ad se uellet attrahere, patrem primū ob-
 truncauit, mox fratrem ex insidijs præcipitans
 unâ

Cithæron

unā cum illo delatus est in præceps: atq; ex Deorum uoluntate, in montes eiusdem nominis commutati sunt. Mox Cithæron ob singularem impietatē factus est Erinnyum fabula: at Helicon ob humanitatem, Musarum domicilium.

De Ebro. Cap. III.

E Brus fluuius est Thraciæ, qui nomen ab eo cepit, quòd aquarum cursum aliquando continuerit. Casander regionis rex postquā Crotonicē duxisset uxorem Ebrū filiū ex ea progenuit: mox cum prioris mulieris consuetudinis pertesum esset, illa repudiata Damasippen Atracis filiam duxit in matrimonium, quæ cum in priuigni incidisset desiderium, uerba ad illum de cōgressu perferēda curauit: is uerò tanquam Erinem nouercam aufugiens à furore femineo sese liberauit. At hæc lasciua, uoti minimè compos facta, temperātem adolescentem falsò apud patrem accusauit, quòd sibi uim inferre uoluerit. Casander uerò zeloty pia concitatus, in syluam impetum fecit, ac stricto gladio filium insecutus est, tanquam paternorum thalamorum integritatem polluere tentauisset. Filius ubi esset comprehensus, neque alia uia periculum posset eua dere, se in fluuium Rhombū deiecit, qui Ebus ab illo postea fuit nominatus, ut ait Timotheus in libro de fluminibus undecimo.

Adiacet

Adiacet illi mōs Pāgeus nomine, qui hac de causa nomē obtinuit: ubi Pangæus Martis Critobulesq; filius cum sorore ignarus rei concubuisset, ac postea magnopere eam ob rem discruciaretur, in Carmanium montem se contulit, atque cum dolorē & mœsticiam perferre non posset, stricto gladio sibi manus intulit, quare effectū est, ut ex Deorum commiseratione locus ille Pangæus sit nuncupatus. Nascitur herba quædam in prædicto fluuio persimilis origano, cuius summa infringentes Thraces in ignem conijciunt post cerealis cibi satietatem, eiusq; uaporem naribus excipientes capite grauati in profundum somnum uertuntur. Inuenitur herba etiam in Pangæo monte, quæ cithara nuncupatur, hac de causa: illæ quæ corpus Orphei laniarunt, eius membra in Ebrum fluuium proiecerunt: atque hominis caput in Deorum uolūtate sese in draconis formam cōmutauit, Lyra uerò, ita uolēte Apolline, inter astra relata est. Exorta deinde herba ex illius sanguine, cithara dicta fuit: quæ cum sacra Dionysij celebrantur, citharæ sonum emittit, atq; indigenæ ceruorum pellibus induri thyrsosq; gestantes, hymnū canunt, prudētiæ ingenijq; compotes facti, ubi illam pectori admouerint, ut in libro tertio Tragicorum, scriptum reliquit Clitonymus.

De Gange. Cap. IIII.

Ganges est Indiæ fluuius, qui nomen idcirco obtinuit: Calaunia nympa quædam filium eximiæ pulchritudinis Gangem nomine ex Indo peperit. Hic cum uertigine capitisq; dolore laboraret, cū matre inſcius congreſſus eſt: ac re poſtea per diem ex nutrice, ſicuti erat, cognita, magnitudine doloris adductus, ſe in Chliarū uocatum fluuium cōiecit, qui ab illo poſtea Gāges fuit nominātus. Nāſcitur apud illum herba bugloſſo perſimilis, quam cōrunden-tes ſuccum ſeruare conſueuerunt, ac per noctem obſcuram antra tigrinum & latebras illo conſpergunt. Illæ uerò cū profuſæ acrimonię uim p̄ferre non poſſint, moriuntur, ut ait Calliſthenes in Venatorijs libro tertio. Adiacet illi mons Oriens nominatus, quòd cū ſol Anaxibiam nympam in ea regione & forma & ætate decoram cōſpexiſſet, eiusq; amore fuiſſet captus, neque poſſet amoris flāmas occultare, uim illi illaturus inſecutus eſt. Hæc ubi nullum fugę exitum intueretur, in ſacellum rectæ Dianæ confugit, quod erat in monte Vertice nominato, ac mox euanuit. Cū Deus igitur à tergo inſectaretur, neq; amatā poſſet uſquā inuenire, ob ſummā mœſtitiā inde ortus eſt. Incolæ uerò regionis illius montis uerticem Oriētem ab eo caſu appellarunt, ſicuti Cænaron

PLVTARCHVS

Cænaron asseruit libro decimo Rerum Indicarum.

De Phaside. Cap. V.

Est autem Phasis Scythiæ fluius, qui ciuitatem alluit, dicebaturq̃ prius Arcturus, quod nomen accepit ex situ regionis frigidorum locorum. Dicitur est autem Phasis hac de causa: Phasis Solis Ocyroesq̃ Oceani filius, matrem in adulterio deprehensam interfecit: atq̃ in furorem ex Erinnyum præsentia agitated, se ipsum coniecit in Arcturū, qui ab eo postea cognomē accepit. Nascitur in eo flumine uirga, quæ Leucophyllum dicitur, atq̃ per Hecatis mysteria sub diluculum per Danos diuinā afflatum sub initium ueris reperitur, hanc zelotypi carpentes in thalamum uirgineum conijciunt, nuptiasq̃ seruāt illæsas & legitimas. Quod si quis impiorum ob ebrietatem temerarius existat, & in locū accesserit, ab occultis cogitationibus deijcitur, omnibusq̃ continuo patefacit quęcunque uel fecit illegitimē, uel facere cogitauit. Incidentes uerō illum & apprehendētes in uocatum Impiorum frenum corio inuolutum conijciunt. Est autem rotundum, puteoq̃ simillimum, quod coniectum post triginta dierum spatium in Maotidē paludem emittere consuevit: uermiculis abundat, ac uultures non a tea conspecti iacentia diripiunt, ut memo-

fic

riæ prodidit Ctisippus libro secūdo rerum Scythitarum. Finitimus est mons Caucasus, qui prius Bœotix thorū dicebatur: idcirco, quòd Boreas ob ingens amoris desiderium Chlorim Arcturi filiam rapiēs, in quendam collem Niphantem uocatum deportauit, ex qua filium Hyrpacem, illum qui Heniocho in regnum successit, accepit, atque mons Boreæ Thorus fuit appellatus. Ut autem Caucasus postmodum diceretur, causa affertur huiusmodi: Saturnus post bellū gigantum, Iouis minas deuitās, in summum uerticem Boreæ thori confugit, ibiq; in crocodilum conuersus, unum ex indigenis pastoribus Caucasum discerpens, cognitisq; eius fibris, non procul abesse hostes cognouit. Iupiter uerò cum apparuisset, patrem lano uinculo ligauit, atq; in Tartarum detrusit. Mons autem in Caucaſi pastoris honorem Caucasus nominatus fuit, in quo Prometheum ligauit, coegitq; ab aquila intimatorante torqueri, quoniam is illegitimè inspexit pastoris fibras: ut autor est Cleanthes libro tertio, qui Deorum pugnas conscripsit. Nascitur in eo monte herba Promethea nomine, quam Medea colligens, perrenuemq; contundens, ad paterni doloris remediū usa est, uti idem autor asseruit.

Araris fl. pri-
us Brigulus
dico bama

ARaris fluuius est Celticae regionis, qui nomen idcirco obrinuit, quod cum Rhodano conueniat: siquidem in hunc per Allobrogum defluit regionem. Dicebatur autem prius Brigulus, atque ita nomen accepit: cum Araris uenandi causa in syluam concessisset, fratremque inuenisset Celtiberum a feris discerptum, seipsum ob ingentem dolorem gladio confodit, & in Brigulum praecipitauit, qui ab ipso postea Araris nomen accepit. Nascitur in illo piscis praegrandis, qui dicitur scolopidus ab indigenis: hic luna crescente candidus est, nigerque fit omnino decrescente, cumque fiat praegrandis, interemitur suis ipsius spinis. Inuenitur in eius capite lapis micæ thuris persimilis, qui maxime confert ad expellendas quartanas, si sinistris partibus corporis alligetur luna decrescente, sicuti tradidit Callisthenes Sybarita libro tertiodecimo rerum Gallicarum, a quo argumentum sumpsit Timagenes Syrus. Huic mons Lugdunus nomine est finitimus, hac de causa ita dictus: Momorus & Atepomarus e regno a Sesenore deiectioni, cum in hoc colle urbem essent condituri, & iam fundamenta iecissent, corui continuo apparentes alasque concutientes uniuersas arbores onerarunt. Momorus, augurij peritus, ciuitatem Lugdolum uocauit, quoniam
Lugumi

Lugum suo idiomate coruum appellat: Dulum uerò egregium: sicuti testatur Clitophon libro tertio decimo Ædificationum.

De Pactolo. Cap. VII.

Pactolus fluvius est Lydiæ, qui Sardes ciuitatem alluit, atque prius dicebatur Chryso-roa. Chius Apollinis Anathippesq; filius, qui artem mechanicam exercebat, atque uictus penuria laborabat, per obscuram noctem Cræsi regis thesauros aperuit, aurumq; efferens, familiaribus dabat. Mox à custodibus deprehensus cum minime posset effugere, sese in fluuiū deiecit, & ab eo dictus est Chryso-roa. Pactolus autem idcirco fuit nominatus, quòd Pactolus Iolis & Leucothoë filius Demodicem sororem per insciam in sacris Veneris initiuit: mox ubi rem rescuisset, sese in Chryso-roam fluuium ob ingentem dolorem deiecit: qui ab eo postea dictus fuit Pactolus. Nascitur in eo Darij auri aurea arena, quæ in fortunatum sinum defertur. Nascitur ibidem lapis aururaphilax dictus: est autem argento petisimilis: at non facile reperitur, qui mistus est cum ea quæ defertur arena, habetque uires huiusmodi, qui præstantiores sunt ex Lydis ipsum emunt, atque ante thesauro-rum aditum deponunt, aurumq; depositum ita seruant illæsum: nam ubi fures accedunt, lapis is tubarum sonitum emittit, illi

uerò satellites insequētes rati per locos præ-
 cipites discurrūt. Dicitur ille locus ui inter-
 fectorum Pactoli custodia. Nascitur & her-
 ba quædã purpureis floribus Chrysopele
 nomine: siquidẽ urbes finitimæ aurū imper-
 mistum experientes eò cõfluunt: nam simul
 atq; illud cõflauerint, herbã attingūt: quòd
 si id purū aurū extiterit, inauratur folia, ser-
 uatq; materię suæ naturã. Sin autẽ fuerit cor-
 ruptū, humorẽ immutatum extrudit, ut ait
 Chrysermus in tertio de Fluminib. Adiacet
 illi mōs Tmolus uariarū ferarū locupletissi-
 mus, qui antea dictus fuit Carmanorius, à
 Carmone Bacchi Alexirææq; filio, qui cum
 uenaretur, ab apro ictus interiit. Vocatus
 fuit idcirco Tmolus postea, quia cum Tmo-
 lus Marris & Theogones filius, rex Lydię in
 Carmanorio mōte uenaretur, Arrhipẽ uir-
 ginẽ in Dianę lucū proficiscentẽ uidisset, in
 eius amorẽ incidit: cumq; amoris stimulis a-
 gitaretur, in ipsam uel uim illaturus insecu-
 tus est. Illa cum propẽ capta esset, ad Dianæ
 templū confugit. Tyrānus, religione negle-
 cta, uirginẽ in templo uitiauit, quæ mox do-
 lore capta, laqueo uitã finiuit: cum dea in-
 iurias in se illatas ex ijs rebus arbitraretur,
 taurum a filo agitatam in tyrannum immi-
 sit, à quo in præceps deiectus delatusq; in
 uallos magnis cum cruciatib. obiit. At Theo-
 clymenus eius filius patrẽ sepeliẽs, ex illius
 nomine

Arar
 us Br
 dico

DE FLUVIIS. 19

nōmine Tmolū montē nūcupauit. Nascitur ibi lapis pumici similis, raroq; inuenitur, nā quater singulis diebus immutat colorē, at a uirginibus conspicitur, quæ nondū prudentiæ ætatē attigerint. Quæ uerò ad nuptiarū ætatē accesserint, ipsum si uideāt, nullas perpeti possunt iniurias à uiolare uolentibus, uti testatum reliquit Clitophon.

De Lycorma. Cap. VIII.

Lycorma fluuius est Ætoliæ, qui hac de causa Euenus dictus est: Ida filius Alpharei, ob amorē eximiū Marpessam rapiens in Pleuronē deportauit. Cū rē cognouisset Euenus, filiaē suę insidiatorē insectus est: mox cū ad Lycormā peruenisset, nullamq; spem fugiēdi reliquā uideret, sese in fluuiū coniecit, qui ab eo nominatus est. Nascitur ibi herba lanceæ similis, quæ plurimum cōfert ad oculos obtusi luminis. Proximus est illi mons Myenus à Myeno Telestōris Alphesibæq; filio dictus: hic enim cū à nouerca amaretur, neq; uellet paternū poluere cubiculū, in Alphium montē recessit. Telestor autē zelotypus animo inflammato cōtra filiū solitudinem cū satellitib. occupaturus filiū insequabatur: Myenus patris iracūdia perspecta, eā deuitaturus, se de altissimo loco præcipitauit, atq; mōs eius nomen accepit. Nascitur ibi flos alba uiola, qui ubi nominatur nouerca, corrūpitur & soluitur, ut ait Dercyllus lib. 3. de Montibus.

Mæander fluuius est Asiæ, qui prius Retrogradus dicebatur, quòd solus ex omnibus fluminibus cum à proprijs fontibus incipiat, in seipsum reuertitur. Dicitur est uerò Mæander ab Anaxibiæ & Cercaphi filio Mæandro: qui cum aduersus Pessinuntis colonos pugnaret, Deorum matrem precatus est: quòd si uictoriã reportasset, illũ erat mactaturus, qui prior ob res bene ac feliciter gestas sibi gratulatus esset. Cum reuertisset igitur prior Archelaus filius obuus unã cum matre & sorore gratulatus est. hic autẽ religionis memor, ad aras affines necessariò adduxit: at cum ob res huiuscemodi discrucietur, seipsum in fluuium Retrogradum deiecit, qui ab ipso postea Mæander nominatus est: uri memoriã prodidit Timolaus libro rerum Phrygiarum primo. Mentionem fecit horũ Agathocles Samius, etiam in Pessinuntum republ. Demonstratus Apameus hanc commemorauit historiam: Mæander imperator aduersus Pessinuntios creatus, ac præter spem uictoria potitus, matris deorum donaria militibus diripiendã concessit. Mox in insaniam ex deã uoluntate conuersus, filium & matrem obtruncauit. Cum paulo post rescuisset, rei gestæ, pœnitentia captus, se in fluuium præcipitauit, qui ab illo dictus est Mæander.

Mæander. Nascitur in eo lapis, qui per contrariam significationem, dicitur continens: quem si in sinum alicuius conieceris, in furorem conuertitur, & aliquem occidit ex affinibus. Verum tamen si matrem deorū placuerit, ab eo liberatur furore: ut ait Demaratus libro tertio de Fluminibus. Meminit de his & Archelaus in primo de Lapillis. Adiacet huic mons Sipylus, qui nomen illud ex eo obtinuit, quod Sipylus Agenoris & Dioxippæ filius, cum per inscitiam matrem obtruncasset, atque ab Erinnybus idcirco agitaretur, ad montē Ceraunium contendit, atque ob mæroris magnitudinem laqueo ibi uitam finiuit. Mōs autem, deorum consilio Sipylus ab eo dictus est. Nascitur in eo lapillus cylindro persimilis, quem pij filij ubi inuenerint, in luo matris Deorum deponunt: ac nunquam in impietatis incurunt accusationem, sed amant parentes, & omnes aliquo affinitatis uinculo coniectos, uti scriptū reliquit Agatharchides Samius libro quarto de Lapillis. Sed diligentius de his scripsit Demaretus libro quarto Phrygiæ.

De Marsya. Cap. X.

Marsyas fluius est Phrygiæ apud ciuitatem Celenas præterlabens, qui prius fons Midæ ob causam huiusmodi dicebatur, Midas rex Phrygiæ cum ad

loca regionis deserta peruenisset, aquarūq;
 laboraret penuria, terrā attigit, atq; fontem
 aureum edidit, cūm fontis aqua flueret au-
 rea. cūm uerò magnopere sitiret, comitesq;
 rem iniquo ferrent animo, Dionysium pre-
 catus est: quem cūm Deus audiuisset, abun-
 dantissima aquæ copia scaturiuit. Mox ubi
 exsaturati essent, Phryges Midas fluuiū ex
 fonte defluētem Midæ fontem nuncupauit.
 Postmodum nominatus est Marsyas hac de
 causa: cūm uictus fuisset Marsyas ab Apolli-
 ne & excoriatus, nati sunt satyri ex defluen-
 te eius sanguine, & fluuius ex illius nomine
 dictus fuit Marsyas: sicuti Alexander Corne-
 lius scriptum reliquit libro tertio de Rebus
 Phrygiæ. Eumerides autē Cnidius hanc hi-
 storiā recensuit: Vtris Marsyæ tempore con-
 sumptus & delatus ex terra, in Midæ fontē
 decidit, sensimq; delatus ad piscatorē quen-
 dam peruenit. Cūm uerò ex oraculi respon-
 so Pisistratus Lacedæmoniorum ciuis ad Sa-
 tyri sepulchrū ciuitatem fortē condidisset,
 hāc appellauit Noricum: est enim Noricum
 lingua Phrygia utris uocatus. Nascitur her-
 ba in hoc fluuiio, quæ nominatur tibia, quā
 si quis ad uentum mouerit, musicā confecit
 melodiam, uti testatur Dercyllus libro pri-
 mo Satyricorum. Proximus est mōs, quem
 uocant Berecynthium, habetq; nomen à Be-
 recyntho, qui primus fuit sacerdos matris
 Deorū: in quo nascitur lapillus gladius ap-
 pellatus,

pellatus, est enim ferro simillimus, quem si quis inuenerit, cum sacra fiunt matris Deorum, uertitur in infaniã, ut asseruit in rebus Phrygiæ Agatharchides.

De Strymone. Cap. XI.

Est aut Strymon fluuius Thraciæ, qui aluit Hedonidẽ ciuitatem, Palæstinusq; antea dicebatur à Palæstino Neptuni filio. Hic cum aduersus finitimos pugnaret, & in ægritudinẽ incidisset, filiũ Haliacmonem ducẽ misit exercitus: qui cum pugnã cõmisisset temerẽ admodũ, occisus fuit. Vbi ea quæ cõtigerãt percepisset Palæstinus Satellites latẽs ob męroris magnitudinẽ se cõiecit in fluuium Conozum, qui postea ab eo dictus est Palæstinus. At Strymõ Martis filius & Helices, cum de Phesi morte persensisset, & non mediocriter tristaretur, se in Palæstinũ fluuiũ præcipitauit, qui Strymõ postea fuit dictus. Nascitur lapis in eo Pansilypus nominatus, quẽ si quis dolẽs inuenerit, repẽtẽ ab ea molestia absoluitur, ut autor est Iason Byzãtius in Tragicis. adheret illi Rhodope & Hemus mōtes, qui cum essent fratres, & in desideriu alterius inuicẽ incidissent, hic quidẽ Iunonẽ, ille uerò Iouẽ amatum nũcupauit, idq; sanẽ perperã. Dij uerò iniuria affecti, rẽ grauiter ferentes, ipsos in mōtes eorũ nominũ cõuertit. Nascuntur lapides in illis Philadelphi dicti, colore nigro, humana forma: hi si seorsũ ponãtur ac nominẽtur, cõtinuò cõiungũtur.

& coalescūt: uti memoria prodidit in tertio de Lapillis Thrasyllus Mēdesius: atq; in Tra-
gicis etiam studiosius cōscriptū est à Iasone.

De Sagari. Cap. XII.

Est & Sagaris Phrygiæ filius, qui Xerobates dicebatur ea de causa, quod per solstitiū æstiuū sepius aridus conspicitur. Vocatus est ideo Sagaris quia Sagaris Myndonidis, & Alexiroides filius multa matris deorū mysteria profanauit, & Gallos eius sacerdotes pluribus affecit iniurijs: hæc autē rē grauius ferēs, illi furorē immisit, qui mentis impos in fluuium Xerabadem defiliuit, qui Sagaris ab illo postea fuit nuncupatus. Nascitur in eo lapillus Autoglyphus nomine, qui matrem Deorū habet impressam. Si quis hunc lapillum inuenerit, qui perrarō tamē inuenitur, nullius rei capitur admiratione: sed magno animo fert rerum præter naturam aspectum, uti Aretazes ait in rebus Phrygijs. Finitimus est illi mons, quem dicunt Ballenæum quod interpretatur Regium, quam appellationem habet à Ballenæo Ganymedis & Medesigistes filio: hic enim cum patrem mortuum uidisset Ballenæum, celebritatem instituit: quæ nunc etiam ita appellatur. Nascitur ibi lapis Stella uocatus, qui per profundam & obscurā noctem tanquam ignis lucet, idē in eunte autumno incipit. Appellatur lingua indigenarum

narum Balle, quod regem interpretatur, ut autor est Hermesianax Cyprius libro secundo de rebus Phrygijs.

De Scamandro. Cap. XIII.

SCamander fluvius est Troadis, qui Xanthus prius dictus fuit, & nomen postea idcirco sumpsit, quod Scamander Corybantis & Demodoces filius cum Rheæ sacrificia celebrari repente conspexisset, uersus est in furorem, atque cum imperu ad Xanthum fluvium delatus, sese in illum precipitavit, atque is postea ab ipso Scamander nominatus fuit. Nascitur in eo herba, quæ dicitur Sistrus ciceribus persimilis, habetque coccos tremetes, unde nomen obtinuit. Quicumque hanc habuerit, neque phantasmata, neque deos uisos formidabit, ut asserit Demostratus libro 2 de Fluminibus. Coniunctus est illi mons Ida, quem Gargarum uocabant, ubi sunt aræ Iouis & matris Deorū. Idæ nomen obtinuit ob hanc causam: cum Ægestius ex Diosphoro genitus puellam Idam adamasset, cum illa congressus est, & Idæos Dactylos nuncupatos ex illa suscepit. Cum uero hæc mentis impos in adyto Rheæ esset facta, Ægesthius in illius honorem Idam montem appellauit. Nascitur lapis hic occultus, qui solo sacrificiorum tempore apparet, ut ait Heraclitus Sicyonius in secundo de Lapillis.

TANAI fluius est Scythiæ, prius dictus Amazonius, quod in illo lauerentur Amazones: at nomen idcirco postea commutauit: Tanais Berossi ac Lysippes filius unius ex Amazonibus cum esset temperatissimus, odio habebat femineum genus, atque unum Martem colebat. Nuptias etiam parum honestas arbitrabatur, atque Venus illi matris iniecit desiderium. Hic repugnabat quidem affectui primum, at a solorum molestia superatus, cum uellet esse integer & religionis cultor, se in fluuium proiecit Amazonium, qui ab eo dictus est Tanais. Nascitur ibi plantæ, quæ dicitur Halinda, foliaque habet brassicæ similia: hanc contudentes indigenæ, eoque succo se ungentes, mox calefacti frigus sine molestia perferunt, hoc suo idiomate oleum Berossi nuncupant. Nascitur ibi lapis etiam crystallo similis, qui hominis coronati formam imitatur: at cum rex interierit, sunt comitia apud fluuium, qui lapidem illum habere deprehenditur, statim creatur rex, sceptrumque accipit regis mortui, ut ait libro tertio Plantarum Ctesiphon. Mentionem fecit horum & Aristobulus in primo de Lapillis. Vicinus est illi mos, qui indigenarum uocabulo Braxaba dicitur, quod arietis formam significat, qui postea nomen hac de causa commutauit: Phryxus Helle sorore apud Euxinum portum amissa

amissa, atq; ut persolueret naturæ iusta cōso-
 pitus, in quodā colle promontoriij conque-
 scebat. Cū barbari quidē ipsum uidissent,
 eoq; cum armis ascenderēt, aries aurei uel-
 leris inclinatus accedentium multitudinem
 intuitus, humana uoce usus, dormiētē Phry-
 xum à somno excitauit: atq; is arietem capti-
 ens, in Colchos usq; deportauit. Locus au-
 tem ex eo casu arietis forma dictus est. Na-
 scitur ibi herba barbarorū uoce Phryxa uo-
 cata, quæ interpretatur malos auertēs: estq;
 rutæ similis, quam si habuerint priuigni, ni-
 hil patientur iniquum à nouercis. Nascitur
 maximè apud antrum Boreale uocatū, quæ
 collecta niue est frigidior: ubi uerò aliquæ
 à nouercis fiunt insidiæ, flammæ effundit:
 id signū habētes, qui postea patri nuptas for-
 midāt, imminentium periculorū ac timorū
 necessitatē deuitant, uti scriptū reliquit lib.
 secūdo rerum Scythicarū Agatho Samius.

De Thermodonte. Cap. XV.

Thermodon fluuius est Scythiæ, qui no-
 men ex casu obtinuit, atq; antea Cry-
 stallus dicebatur: siquidē is per estatē
 coalescit, quod & loci ipsius regionis est
 proprium. ita uerò nomen mutauit. *

De Nilo. Cap. XVI.

Nilus fluuius est Ægypti, Alexādiam
 alluens ciuitatem, qui prius Melas
 uocabatur à Melane filio Neptuni:
 uerūm

nerum postea Ægyptus fuit dictus, quia cum Ægyptus Vulcani & Leucippes filius rex esset illorum locorū, ac Nilus ob interstina bella agros non inuaderet, sed incolæ regionis fame laborarent, respondit oraculum cessaturam calamitatem, si rex filiam ad placandos deos mactauisset. Tyrannus uerò calamitatibus defessus, Aganippem ad aras deduxit, qua laniata tyrānus magnitudinis doloris impatiens, se in Melanem fluuium deiecit, qui ab eo dictus est Ægyptus: at ita deinde nominatus est Nilus. Garmathona locorum Ægypti regina filio impubere amisso Chrysochoe cum domesticis eius causa magnopere conquerebatur. at Iside apparente continuo, mœrorem in tempus aliud distulit: iucunditatemq; ad Deæ presentiam effingens, illam perbenignè amplectitur. Illa uerò remunerationem aliquam horum facere cupiens, hortata est Osirim, ut filium ipsius ex subterraneis locis educeret. Cum hoc ita pro muliebrib. uotis efficeretur, Cerberus, quem formidandum uocant nonnulli, latrauit. at Nilus uir Garmathonæ repente numine afflatus, se in fluuiū uocatum Ægyptum cōiecit, qui ab eo dictus est Nilus. Nascitur in eo lapillus fabæ similis, quem si canes uiderint, non latrant. Conuenit dæmoniis, quoniā si manibus eorum apponatur, continuo fugit dæmonium. Sunt & alij

alij lapilli colores uocati, quos hirundines in Nili honorem colligentes, murum extruunt nominatum Chelidoniū, qui aquarum retinet inpetum, neque paritur regionem inundatam deuastari: uti scripsit Thrafsyllus in rebus Ægyptijs. Finitimus est illi mons, quem Argillum appellant hac de causa: Iupiter ex Lycto urbe Cretæ Argen puelam ob Veneris stimulos rapiens, in Argillum uocatum Ægypti montem deportauit, ex qua filium suscepit nomine Dionysium: qui cum adoleuisset, collem in honorem matris Argillum appellauit. Mox cum Panas & Satyros in militiam delegisset, suo imperio Indos subiecit: atque deuicta Iberia, Panna locis illis præfecit, qui regionem de seipso Paniam uocauit: at iuniores inde uocabulum deducentes, Spaniam dixerunt, uti uoluit Sosthenes libro tertiodecimo rerum Ibericarum.

De Eurota. Cap. XVII.

Himerus nymphæ Taygetæ ac Lacedæmonis filius, cum sororem Cleodidem per inscitiam in pernoctatione uiolasset, ob Veneris iracundiam, sequenti die pœnitentia adducitur rei gestæ, magnopereq; discruciat, ob dolorem se in Marathonem fluuium deiecit: qui ab illo dictus est Himerus. at ita postmodū Eurotas. Cum pugnaret Lacedæmonij aduersus Athenienses,

ses, pleniluniūq; expectarēt, Eurotas illorū
 Imperator uniuersam religionem paruifa-
 ciens, in aciem instruxit exercitum: quāuis
 & fulgura & fulmina illud facere prohibe-
 rent. Cū autē amisisset exercitum, mœsti-
 tia captus, se in Himerum fluuium præcipitē
 misit, atq; inde fluuius nomē accepit. Nasci-
 tur ibi lapis galeæ similis, qui Thraſydilis
 nūcupatur: nam simul atq; tubam audiuerit
 in fluentum recedit, Atheniensibusq; nomi-
 natis defilit in profundum. Cōplures sunt
 sacri lapides huiusmodi in templo Palla-
 dis Chalciaæ, uti testatur Nicanor Samius
 in secundo de Fuminibus. Proximus est illi
 mons, quem Taygetum appellant, quod no-
 men à Taygete nympa accepit, quam Iupi-
 ter uim inferens uitiauit. Hæc autem mæro-
 re affecta, laqueo uitā finiuit in summis A-
 myclei montis uerticibus: qui ab illa dictus
 est postea Taygetus. Nascitur in eo herba
 charisium uocata, quam mulieres incipiente
 uere, circa collum ponētes, ardentius aman-
 tur à suis uiris, ut tradidit Cleāthes libro pri-
 mo de Montibus: de qua re diligentius e-
 tiam meminit Sosthenes, à quo Hermogē-
 nes deprompsit argumentum.

De Inacho. Cap. XVIII.

INachus fluuius est Argiuaë regionis, qui
 prius appellabatur Carmanor. Haliac-
 mon

mon Tirynthius genere, in monte Coccygio pascens cum esset, per inscitiam cum Rhea congressus, Iouem intuitus, in insaniã uersus & furore delatus, se in fluuium deiecit Carmanorem, qui ab ipso Haliacmõ fuit nominatus. Dicitur est postea Inachus, ob huiusmodi causam: Inachus Oceani filius, cum Io eius soror à Ioue fuisset uitata, Deum cum contumelijs atq; imprecationibus à tergo est infecutus. Cum uero indigna tulisset Deus, illi Tisiphonem immisit unam ex Erinnybus, qua uexatus, se in fluuium Haliacmonem deiecit, qui ab eo dicitur est postea Inachus. Nascitur in eo herba, quam dicunt Cyuram, rutæ similis: quam, ubi mulieres sine periculo uoluerint abortiuum facere, uino rigatã umbilicis apponunt. Inuenitur autem in eo lapis etiam Beryllo similis, quem si habuerint ij, qui à falso uolunt testari, niger efficitur. Sunt permulti in Iunonis Prosymnææ luco, ut in rebus Argolicis scriptum reliquit Timotheus. Mentionem fecit horum & Agatho Samius libro secundo de Fluminibus. Scribit Agathocles Milesius, in ijs, quæ prodita sunt ab eo de fluminibus, Inachum ob suam malitiam à Ioue fulmine ictum, esse exiccatum. Propinqui sunt illi montes Mycenæ & Apasantus & Coccygius & Athenæus, qui appellationem hac de causa obtinuerunt:

Apasantus

Apesantum sanè antea Lunarem uocabant.
 Nam cum uellet Iuno supplicium sumere
 de Hercule, auxiliariam Lunam accepit: hæc
 autem carminibus usa magis cistam spuma
 impleuit, ex qua maximū coortū leonē Iris
 in suo gremio stringens, in montē Ophel-
 tium deportauit. Hic autem pastorem quen-
 dam indigenam Apesantum lacerans inte-
 remit: quam ob rem ex Deorum uoluntate
 locus ab illo dicebatur Apesantus, ut asserit
 Demodochus in primo Heracleæ. Nascitur
 illic herba, quæ uocatur Luna, cuius spumã
 defluentem æstatis initio colligentes pasto-
 res pedes unguunt, nihilq; patiuntur à serpen-
 tibus. Micenas prius dicebant Argium ab
 Argo occultato, atq; dictæ sunt idcirco post
 ea Mycenæ, quia Perseus ubi Medusam ob-
 truncasset, Stheno & Euryale illius sorores,
 insidiatorem insectantes, ubi in collem per-
 uenissent, spectarentq; illum se esse compre-
 hensuras ob ingentem animi affectum mu-
 gitum ediderunt: indigenæ ex hoc casu locū
 illum, montisq; uertiem Mycenæ appella-
 rūt, ut inquit Ctesias Ephesius libro primo
 Perseidis. At Chrysermus Corinthius histo-
 riæ huiusce mentionē fecit in primo rerum
 Peloponnesiacarum: cum Perseus sublimis
 ferretur, atque ad hunc collem peruenisset,
 manubium ex capulo eius ensis decidit, atq;
 Epidauriō rex Gorgonophonus ex regno
 deiectus

deiectus, responsum ab oraculo cepit, ut urbes Argolicas circūiret, ubiq; manubrium ensis inuenisset, ibi ciuitatē ædificaret. Cū ad montem Argium igitur peruenisset, capulumq; reperisset eburneum, ciuitatē condidit, & ab eo casu Mycenæ appellauit. Nascitur in eo lapis corybas dictus, colore fusco, quem si quis inuenerit, habueritq; corpori alligatum, nullū monstrorū aspectum formidabit. Mōs autem Apesantus Acrisij: cū enim in eo loco uenaretur, serpētemq; lætiferum conculcasset, obiit. At Rex filium sepeliens, collem appellauit Apesantū, cū diceretur Selinuntius. Mōs Coccygius hac de causa nomen mutauit: cū Iupiter Iunonem sororem amaret, amatamq; illexisset, marem ex illa suscepit, atque mons Pyceius ex eo casu dictus est Coccygius: ut auctor est Agathonymus in Perside. Nascitur in eo planta, quæ dicitur Palinurus, super qua si quod animal rationis expers confiderit, tanquam à uisco continetur, præter cuculum: huic enim parcat, uti scriptum reliquit Ctesiphon in primo de Arboribus. Mons item Athenæus à Pallade nomen accepit: nam post Ilij euerfionem Diomedes Argos reuersus, ad montem Ceraunium peruenit, & Palladi lucum delubrumq; consecrans, montem de nomine illius deæ nuncupauit.

Réperitur in uertice eius radix rutæ similis, quam si qua mulier nescia comederit, uertitur in furorem, quæ Adraſtea uocatur: uti ſenſit Pleſimachus in ſecundo Redituum.

De Alpheo. Cap. XIX.

Alpheus fluuius eſt Arcadiæ, iuxta Piſam Olympicã, qui fuit antea Stymphelus à Stymphelo Martis Dorotheæq; filio nominatus. Hic enim Philip-pum Alcmaeonem filium cum amiſſiſſet, mœrore affectus, ſe in fluuium Nyctimum, qui dictus eſt ab illo Stymphelus. Vocatus idcirco autem fuit Alpheus, quòd quidam, unus ex ijs qui genus ducunt à ſole, Alpheus nomine cum certamen de uirtute cum Cercapho fratre inſtituiſſet, illum interfecit: atq; à paſtoribus ideo exagitatus & expulſus, ſe in Nyctimum fluuium præcipitauit, qui ab eo dictus eſt deinde Alpheus. Nascitur herba in hoc fluuiio, quæ uocatur cœchritis, fauo perſimilis, quam lixantes medici, illis bibendam tradunt, qui mentes habent alienatas, eoſq; liberant ab inſania: ſicuti narrat Cteſias libro primo de Fluminibus Propinquus eſt mons, quæ Saturnium uocant, nam cum Saturnus poſt bellum Gyganteum Iouis minas deuitaret, in mōtem Ctrurum conſcēdit, atq; hanc uocauit poſtea Saturnium. Cum uerò breue tempus ibi latuiſſet, arrepta op-

pta opportunitate, in Caucasum Scythiae peruenit. Nascitur lapillus in eo monte Cylindrus uocatus ab ipso casu: nam quoties Iupiter fulminat uel tonat, toties propter timorem à uertice deuoluitur, sicuti commemorat Dercyllus in primo de Lapillis.

De Eufrate. Cap. XX.

EVfrates fluuius est Parthorū iuxta Babyloniam ciuitatem, qui Medus antea dicebatur à Medo Artaxerxis filio. Hic enim Rhoxanem Cordyi filiam cupidine inflammatus uitiauit, uim inferens, atque sequenti deinde die à Rege in supplicium quæsitus, perterrefactus se in Zaramdam fluuium præcipitauit, qui ab eo dictus fuit Medus. Euphrates appellatus fuit hoc pacto: Euphrates Arandaci filius cum una cum matre dormiētem filium Axurram inuenisset, existimās aliquem esse ex ciuibus, ensē stringens, ob odium rei peractæ inflammatus iugulū illi cecidit. Mox cum insperati facinoris autor extitisset, ob ingentem mœsticiā se in Medum fluuiū deiecit, qui ab eo uocatus est Euphrates. Nascitur in eo lapillus nominatus Astiges, quem obstetrices parturientium uentri solent apponere, quo pariunt cōtinuò sine dolore. Inuenitur herba præterea, quæ uocatur Exalla, quod cali

dum interpretantur, quã si laborãtes quartana febre pectori appofuerint, ftatim liberantur à febre: uti memoriae proditum eft à Chryfermo Corinthio libro tertiodecimo de Fluminibus. Propinquus eft mōs, quem Drimyllum uocant, in quo lapillus nascitur Sardonychi perfimilis, quo utuntur reges in regijs: atque fi in aquam calidam conijciatur, plurimum confert obtufam oculorum aciem habentibus, uti Nicias Maliota fcripfit in ijs quæ de Lapillis.

De Caico. Cap. XXI.

Est aut Caicus fluuius Myfiæ, qui prius Aftæus ab Aftæo Neptuni filio uocabatur. Hic enim cum pernoctatio fieret in Palladis honorem, Alcippæ sororẽ per incitiam uim inferens uiolauit, anulũq; cepit. fequẽti autem die affinitatis figillum animaduertens, mœrore ac pœnitentia rei captus, fe in fluuium Adurum præcipitauit, qui ab eo dictus eft Aftæus. At Caicus poſtea idcirco: Caicus Mercurij Ocyroësque nymphæ filius, obrũcato Timãdro, uno ex patricijs eius, propinquos metuẽs, fe in fluuium Pauræum deiecit, qui ab ipſo dictus eft Caicus. Nascitur in eo papaner pro fructu habens lapillum, ex quo nigra quẽdam corpuscula exeunt liris fimilia, quæ Myfi in aratam

aratam terram conijciunt : quòd si sterilitas sit consecutura, in eodem loco persistunt, in quo fuerint coniecta: sin secutura sit fœcunditas, lapilli locustarum in modum profiliunt. Nascitur etiam herba pharmacus appellata, quam medici sanguinis fluxum patientibus apponunt, uenarumq; excrementum intercipiunt, ut ait Timagetas in primo de Fluminibus. Propinquus est illi mons Teuthras à Theuthrâte rege Mysorum, qui cum uenandi gratia in Thrasyllum montem conscississet, aprumq; conspexisset eximiæ magnitudinis, unà cum satellitibus illum insectus est. Hic uerò præueniens ut supplex in Orthosiæ Dianæ templum confugit, mox cum in delubrum ingredi omnes conarentur, aper humanam uocem emittens, ita ut audiri posset, exclamauit: Parce rex iumento Deæ, tū uerò Teuthras elatiore animo animal interfecit. At Diana rē grauiter ferēs, aprum in uitam restituit, auctoriq; ipsius casus insanix asilum immisit, quare hic affectum ægrè ferens, in uerticibus montium uersabatur. at Lysippe prædicti mater cum ea percepisset, quæ contigerant: in syluam cucurrit, Pelyidum uatē Cyrani secum attrahens, ex quo ueritatem percipiens Deæ ipsius maleuolentiam sacrificijs expiauit, atq; filium mentis compotem capiens, Orthosiæ

Dianæ aram erexit. Instituit præterea aprū etiam aureum faciem hominis habentem, qui adhæc usque tempora insequentibus uenatoribus templum ingressus, uocem uidetur humanam emittere. Teuthras primā formam præter spem resumēs, montem Teuthrantem nominauit. Nascitur in eo lapillus Antipathes uocatus, qui maximū est ad uitilignes leprasq̄ remedium, si in uino sit contusus, uti scribit Ctesias Cnidius in secundo de Montibus.

De Acheloo. Cap. XXII.

AChelous fluuius est Ætoliæ, qui Thestius prius nominabatur hac de causa: Thestius Martis & Pisidices filius, ob quandam domesticam opportunitatem in Sicyoniam penetrans, permultumq̄ moratus, in patriam denique reuertit. cum autem filium Calydonem cum matre dormientem reperisset, & adulterum esse arbitraretur, per inscitiam interfecit, atque inopinatæ rei mox facinus intelligens, se in Axenū fluuium præcipitauit, qui ab illo Thestius dictus fuit. Acheloi aut nomen ita cepit: Achelous Oceani & Naidis nymphæ filius cum filia Clestoria per inscitiam congressus, ac deinde pœnitentia ductus, se in Thestium fluuiū deiecit, qui dictus est ab illo Achelous. Nascitur

scitur herba in eo fluuio, quam uocant zaculum caprifico similis, quam si contusam in uinum iecerit, illud fit aqua, quod tamen uini retinet odorem, quamuis uires amittat. Inuenitur etiam lapillus atri coloris Lirurgas nuncupatus ab ipso opere: nam si ipsum in linteum lineum coniecero, ita ob amorem coniungitur, ut formam accipiat & fiat albus, ut memorię prodidit Antisthenes in tertio Meleagris, Meminit de his diligentius Diocles Rhodius in rebus Ætolicis. coniunctus est illi mons uocatus Calydon, quod nomen à Calydone Martis Astynomachę filio accepit: hic enim cum imprudens lauante se Dianam uidisset, formam corporis in lapidem commutauit: at mons, Deorum consilio, uocatus prius Gyrus, ab eo Calydon fuit nominatus. Nascitur in eo herba, quę dicitur myops, quam si quis in aquam coniecero, faciemq; lauerit, uisum amittit: at si Dianam placauerit, lumen recuperat, ut inquit Dercyllus in tertio Rerum Ætolicarum.

De Araxe. Cap. XXIII.

ARaxes fluuius, qui ab Araxo Pylo nomen accepit: cum enim hic cum auo Arbelo de imperio contenderet, ipsum sagitta cōfodit. At ab Erinnybus post

ea exagitatus, se in Baëtrum fluuium coniecit, qui ab eo nominatus est Araxes, uti narravit Ctesiphon libro primo de rebus Persicis. Cùm Araxes rex Armeniæ aduersus finitimos Persas bellum gereret, instruendæq; aciei tempus prorogaretur, oraculum respondit, illum uictoriam esse adepturum, si duas nobilissimas uirgines Dijs tutelariibus malaq; auertentibus immolasset. Hic autem ob singularem in filios beneuolentiam suis parcens, ac unius ex subditis ciuibus spectatæ eximiæq; formæ puellas ad aram adductas mactauit. Tum Mnesalces occisorum pater rem grauiter tulit, atq; iniuriam in opportunum tempus occultauit: mox arrepta occasione tyranni filias ex insidijs interemit, patriamq; profugiens in Scythiam applicuit. Araxes ijs quæ acciderant, perculsus, mœstitiaq; oppressus, se in Halmum fluuium præcipitauit, qui ab eo nominatus est Araxes. Nascitur in eo herba indigenarum uocabulo Araxa nuncupata, quod si interpretemur, uirgines odio prosequens significat: nam simul atque inuenta fuerit à uirginibus sanguinem emittens contabuit. Nascitur & lapillus uocatus Sicyonus nigri coloris, qui cùm respõsum fuerit datum ab oraculo de homine occidendo, à duabus uirginibus super aras tutelarium deorum imponitur:

ponitur : tum sacerdote illum cultro attingente multa sanguinis fluit copia : atq; per id tempus rem sacram facientes, cum clamoribus accedunt, lapillum ad templum compertantes, uti testatur Dorotheus Chaldaeus in secundo de Lapillis. Finitimus est mons Diorphus, nominatus à Diorpho terræ filio, de quo hæc ita traditur: Cum filium Mithræ cooptaret, genusq; fœmineum auersaretur, petram quãdam calefecit, at petra grauida facta, post determinata tempora iuuenem edidit Diophorum nomine, qui cum in uirum euasisset, Martemq; in uirtutis certamen prouocasset, interemptus fuit : mox deorum uoluntate in montem sui nominis est conuersus. Nascitur in eo arbor malo punicæ similis, pomorumq; copiam producit uberrimam gustu uuæ similium: hosq; fructus si quis maturos decerpat, Martemque nominet continuo fiunt uirides, uti scriptum reliquit Ctesiphon in libro de Arboribus undecimo.

De Tigri. Cap. XXIIII.

Tigris fluuius est Armeniæ, qui in Araxem & in Arfacidem stagnum defluit: atque prius dicebatur Sollax, quod pronè fluentem significat, mox hac de causa fuit nominatus, Dionysus Iunonis confi-

lio furiosus, terram ac maria circuiuit, cum affectus quæreret remedium. Cum autem ad Armeniæ loca peruenisset, neque posset fluuium prædictum tranare, Iouem inuocauit: quæ ubi deus exaudiuisset, illi tigridẽ immisit, supra quã sine periculo traiciens, in eorum quæ cõtigerant memoriam fluuium Tigrim appellauit, ut sensit & Theophilus in primo de Lapillis. At Hermesianax Cyprius hæc protulit historiam: cum Dionysius amaret Alphesibœam nympham, ac neque precibus neque muneribus illam posset demulcere, in tigridem prædictam formam commutauit corporis, tum timore compellẽs, ipsa potitus est: atque ubi trans fluuium portasset, filium Medum progenuit: qui uir deinde factus, in perpetuam rei quæ acciderat memoriam fluuium Tigrim uocauit, ut asseruit Aristonymus libro tertio. Nascitur in eo lapillus, quem Myndam nominant, albus planè, quem si quis habuerit, nihil à uenenatis feris pati poterit, sicuti Leo Bizantius affirmat in tertio de Fluminib. Finitimus est illi mons, quem dicunt Gauranum, à Gaura Satrapa Rhoxanis, qui cum diligens esset deorum cultor, condignam gratiam reportauit. Vixit enim annos trecentos unus ex omnibus Persis, ac sine ulla ægritudine uel dolore est extinctus, magnificentibus sepulchrum

chrum in Gaurani promontorio nactus est. Tum ex deorum consilio mons de illius nomine dictus est Gauranus. Nascitur ibi herba persimilis hordeo siluestri, quam in oleo calefacientes indigenæ, eoque se perungentes, ad necessitatem usque mortis uiuunt sine ægritudine, uti tradidit Sossratus in primo Introductionis fabulosa historia.

De Indo. Cap. XXV.

Indus fluuius est Indiæ, qui magno cum impetu fertur in regionem Ichthiophagorum, ac Mausolus antea dicebatur à Mau solo Solis filio. Sed postea tali de causa nomen commutauit: cum sacra Bacchi celebrarentur, indigenæque religioni essent intenti, Indus iuuenis illustris uolauit Damasalcidam Oxyalci regis filiam, quæ canistrum ferebat. Deinde cum ad supplicium à tyranno quæreretur, se in fluuium Mausolum obtimorem coniecit, qui ab eo Indus fuit appellatus. Nascitur in eo lapillus dictus Aparthenophthorus, quem si gestarint uirgines, nullo pacto corruptores aut uim inferentes formidabunt. Nascitur herba etiam buglossi similis, quæ plurimum confert Regio morbo laborantibus, si cum aqua tepida concedatur, uti narrat Clitophon Rhodius libro decimo Rerum Indicarum.

Adhæret

Adhæret illi mons uocatus Lilæus, à Lilæo pastore. hic enim cum esset superstitiosus, so- lamq; lunam coleret, per obscuram noctem illius occulta sacrificia peragebat. Reliqui dei se ab illo contemni ægrè ferentes, duos leones illi immiserunt maximos, à quibus dilaniatus, ex hac uita decessit: Luna uerò pro uiri pristina in se pietate gratiam referre cupiens, illum in montem eiusdem nomi- nis commutauit. Nascitur illic lapillus Cli- tonis nuncupatus ualde niger, quem indi- genæ gestant ornatus gratia, sicuti

Aristoteles scribit in libro
quarto de Flumi-
nibus.

F I N I S.

BASILEÆ
EXCVDEBAT HENRICHVS
PETRI, ANNO M. D. LX.
MENSE AVGVSTO.

THE
LIBRARY OF THE
MICHIGAN MEDICAL SOCIETY
ANN ARBOR, MICH.
1914

is een fragment
Zie de signatuur

